



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Innocentii Papae VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

hominum affluentia celebratus est. Paulo ante Romam venerat presbyter quidam cum certo hominum numero quos Blanchos vocabant: quem tamquam hæreticum exuri mandauit. Annatarum imponendarum primus auctor fuit: ex quibus cum ærario ecclesiæ plurimum acceserit, bellique contra infideles suscipiendi expeditio promota fuerit, non citra temeritatem Theodoricus a Niem simoniae auaritiæque crimina pontifici optimo impingit. In regnum paternum restituit Ladislaum, priuatione qua Carolus exutus erat, plane annullata. Anno Domini 1405. ipsis Kalendis Octobris morbo calculi afflicctus, ex hoc mundo migravit, ac in sancto Petro sepultus est, cum pontificatum 14. annis & 9. mensibus administrasset. Parentibus quos sècum habebat, nimium indulgens, aliquantulam forfasse reprehensionem meruit.

---

### V I T A INNOCENTII PAPÆ VII.

ANNO  
CHRISTI  
1405.

**I**NNOCENTIVS VII. Sulmone, ut ait Theodoricus, in Apulia honestæ & mediocris fortunæ parentibus natus, bonarum literarum, iuris canonici, & Romanæ curiæ peritissimus, vir mitis, bonus & pacificus, doctorum summus amator & fautor, ex Bononienfi episcopo & cardinale sanctæ crucis in Ierusalem 16. Kalendas Nouembbris, anno Domini 1405. tempore Roberti imperatoris electus est pontifex sub ista conditione, ut pro necessitate componendi schismatis quoquis tempore pontificatum resignaret. Nam ante electionem omnes cardinales, Gobellino & Theodorico attestantibus, coram pluribus notariis & testibus solennibus compromiserunt, & compromissum seruare iurauerunt, quod ipsi singuli & communiter, & si quis eorum forte in papam eligeretur, vellet omnem diligentiam quam posset adhibere, quod unitas ecclesiæ reformaretur, etiam si opus esset ad hoc renuntiare papatu, &c. dum tamen Petrus de Luna etiam suo papatu sponte cedere vellet. Stetit promissis pontifex optimus. Conciliū generale ipsis Kalendis Nouembbris Romæ celebrandum indixit: sed Romanorum seditione per Gibellinos

exorta, nemo vocatorum episcoporum ad Vrbem tuto accedere potuit. Cum enim, auctore Gobelino, statim post electionem regimen Vrbis senatoribus ablatum restituisset, illi elatiores facti, eiusdem Vrbis temporale dominium resignari, omnesque munitiones sibi dedi postularunt, Ladislai Neapolitani regis subsidio impetrato, ad arma conuolarunt. Pontifex rei nouitate obstupefactus, cum nepote Viterbium confugit: vnde post deuictum auctore Vrsino eius militia duce Ladislaum, a populo reuocatus Romam reuertit, ibique aliquot cardinales, ex quibus tres pontifices postea eleeti fuerunt, ordinavit: cumque nepotem suum agri Piceni & Anconensis marchionem, eumdemque Firmanum principem creasset, mortuus est, & in sancto Petro sepultus septimo die Nouembbris, anno Christi 1406. cum annos duos & dies viginti tres sedisset.

VITA ET EPISTOLA  
GREGORII PAPÆ XII.

**G**REGORIUS XII. patria Venetus, Angelus Corarius antea nominatus, postquam aliquamdiu patriarcha Aquileiensis fuisset, ex cardinale sancti Marci, prius Kalendas Nouembbris, anno Christi 1406. ætatis sue 80. conditione eadem qua prædecessor electus est pontifex; nimirum ut vi iuramenti ante electionem a singulis cardinalibus emissi pro ineunda vnione & tollendo schismate, pontificatui renuntiaret, modo antipapa Benedictus idem facere vellet. Cumque illud per literas & legationem qua fungebatur Antonius de Butrio iurisconsultus eius temporis celeberrimus, semel atque iterum frustra tentasset, animaduersa antipapæ tergiuersatione, vnoniem remissius quam par erat promouere coepit, deditque in mandatis singulis cardinalibus ne Luca discederent, vllaque de causa ipsi inter se vel cum anticardinalibus conuenirent. A qua sententia ipsi a pontifice male informato ad eumdem vel alium melius informandum appellantes, Pisano Concilio indicto & congregato, Gregorium papam cum pseudopontifice Benedi-

ANNO  
CHRISTI  
1406.